

## calendarium -i, n.

a) Latini hoc nomine appellant librum, in quo faeneratores perscribent nomina eorum, quibus pecuniam faeneri dederant et pensionis solvendae quantitatem. quoniam Kalendis pecunia faenebris collocari solebat, et Kalendis itidem, vel Idibus eius usura solvi.

b) \*\*posterioribus temporibus calendarium dictum est etiam liber, in quo anni, mensium ac dierum ac lunarum mutationum ratio per-

scribitur, vide specimen calendarii ruralis in illustratione apposita.

				
MENSIS IANVAR DIES·XXI NON·QVINT DIES·HOR·VMS NOX·HOR·XIII SOL CAPRICORNO TYTELA IVNONIS PALVS AQVITYR BALIX HARYND CAEDITVR SACRIFICAN DIES PENATIBVS	MENSIS FEBRAR DIES·XXVIII NON·QVINT DIES·HOR·XVS NOX·HOR·XIII SOLAQVANO TYTELA·NEPTVNI SEGETES SARIVNTVR VINEARVM SPERFIC·COLVT HARYNDINES INCENDVNT PAR·ENTALIA LVP·ER·CALIA CARA·COGNATO TERMINALIS	MENSIS MARTIVS DIES·XX·XI NON·SEP·TIMA·M DIES·HOR·XII NOX·HOR·X AEDVINOCTIM VIII·KAL·APR SOL·PISA·QVVS TYTELA·MINERVAE VIC·EPEDAMINI PVNTANTVR ARMETR·SCRIVNT INSIDIAN·GVNT SACR·MAMVRIS LIBERAL·QVINTAE TRIA·LAVATIO	MENSIS APRILIS DIES·XXIX NON·QVINT DIES·HOR·XV NOX·HOR·XII SOLAQVANO TYTELA·NEPTVNI SEGETES SARIVNTVR VINEARVM SPERFIC·COLVT HARYNDINES INCENDVNT PAR·ENTALIA LVP·ER·CALIA CARA·COGNATO TERMINALIS	MENSIS MAYVS DIES·XXXI NON·QVINT DIES·HOR·XVI NOX·HOR·XIII SOLAQVANO TYTELA·NEPTVNI SEGETES SARIVNTVR VINEARVM SPERFIC·COLVT HARYNDINES INCENDVNT PAR·ENTALIA LVP·ER·CALIA CARA·COGNATO TERMINALIS


## dies -iei, m./f.

apud Romanos dies et nox in duodecim horas dividebatur, quae secundum tempus anni longiores aut breviores erant.

in castris nox quattuor vigiliis (*vigiles, vigiliae*) constabat. interdiu hora prima ab ortu solis numerabatur (plus minus horae sextae nostri temporis congruit), hora tertia media erat inter ortum solis et meridiem. hora sexta meridie coepit, hora nona media erat inter meridiem et occasum solis. aestate ab hora sexta cum maximus erat calor, Romani somnum capere solebant (a quo italiane: la siesta). prima, tertia, sexta, nona in coenobiis tempora orationum et cantuum sunt, quae nomina ab his horis capiunt.

tabula monstrat quomodo Romani in aequinoctiis (aequinocetium, solstitium) diem et noctem mensi sint.

a die adiectivum diurnus derivatur (*acta diurna*), a nocte autem nocturnus.



## Horae -arum, f. pl.

sunt deae, quae horis praesunt, Iovis ac Themidis filiae, apud mythologos communiter tres Horae sunt tribusque temporibus anni respondent.



tres Horae in opere caelato arae cuiusdam villae Borghese; exemplar huius operis caelati aetate Periclis (V. saeculo a. Ch. n.) perfectum est prima Hora, quae flores portat, respondet veri, secunda uvis autumnum indicat, tertia manu sinistra spicam frumenti gerens est aestas. deest quartum tempus anni, hiems.

## horologium -i, n.

horologium est instrumentum, quo tempus diei definitur, sive horologio solario sive clepsydra: in clepsydra aqua e superiore vase in inferius vas guttatim cadens tempus indicat.



## vigiles, vigiliae

vigil (-is) est is, qui vigilat, qui non dormit. vigiles sunt excubitores nocturnique custodes. vigilia, -ae, f. est vigiliatio, insomnia. in re militari vigilia dicitur, quae fit a militibus custodiendi causa.

vigiliae militares quattuor erant, prima, secunda, tertia, quarta. singulae tribus horis constabant. noctes in duodecim horas dividebantur, quae aestivo tempore breviores, hiemali tempore autem longiores erant. (*dies*)

Hieronimus, ep. 140, n. 8, 2:

„nox in quattuor vigiliis dividitur, quae singulae trium horarum spatio supputantur ...“



imago vigiliae militaris ex Aeneide Vaticanā sumpta.